

1978

N

13

F1422

142-136







ELEGIDION

IN EXSEQUIIS

VIRI

QVONDAM

ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI  
ICTI CONSVMMATISSIMI

SAMVELIS  
STRYKII

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI RE-  
GIS BORVSSORVM CONSILIARII INTIMI ACADE-  
MIAE FRIDERICIANAE DIRECTORIS ET PROFESSORIS  
PRIMARII ET FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARII  
AC MERITISSIMI OMNIVMQVE IN GERMANIA  
PROFESSORVM SENIORIS

X CAL. AVGVSTI A. O. R. CIOIOCCX

AETATIS AVTEM LXX PIE DEFVNCTI

ET VIII CAL. EIVSDEM MENSIS

SOLLEMNI ET CHRISTIANO RITV

IN COEMETERIO HALENSIS

HVMATI

IN TOT MERITORVM MEMORIAM ET IVSTISSIMI  
DOLORIS TESTIMONIUM

PVBlico

PAEDAGOGII REGII GLAVCHENSIS

NOMINE SCRIPTVM

AB

HIERONYMO FREYERO

EIVSDEM PAEDAGOGII

INSPECTORE.

HALAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS CHRISTIANI NUCKELII ACAD. TYPOGR.



Kapsel 78 N 13 [146]



Cecidit ILLVSTRIS nostraque recessit ab  
vrbe

STRYKIVS, eximium qui decus orbis  
erat.

Hei mihi, qui tantæ cladis tantique  
repugnans

Cogor et inuitus nuntius esse mali!

Tertius exactis nondum concluditur annus

Mensibus: infaustus quum quoque præco fui.

Nimirum tenui MATRONAM carmine flebam,

Quæ fuerat sexus pulchra corona sui.

Si quænam rogitas exempli femina tanti

Exstiterit; miror: STRYKIA talis erat.

STRYKIA talis erat, non, postquam desit esse,

Deploranda mihi, non memoranda satis.

At mihi ferre tamen iacturam posse videbar,

Ni noua, ni maior nunc facienda foret.

Iuhxerat omnipotens, dum STRYKIA viueret, vno

Laudem animi facilis iustitiæque toro.

Neutra retrocessit, viduum laus neutra cubile.

Destituit fessi debilitate SENIS.

Quæ communia tum, quæ tum diuisa fuere,

Post sunt vnus propria facta magis.

Quid superest igitur, quam iusta querela dolensque

Amissum tanta dexteritate VIRVM.

Mille meum subeunt animum argumenta gemendi,

Mille reuelandi lingua doloris habet.

Non ego Francfurtum, non te, Witeberga, citabo,

Nec tu testis eris, Nobilis Hala, mihi.

Vestra quidem suauiter resonare cathedra solebat

Hoc tam præclari nominis ore VIRI.

Nam quinquaginta, demtis modo quinque, per annos

Iuridica celebris Doctor in arte fuit.

Et quia doctrina præstans et maximus vsu

Rerum, nec nullo tempore comis erat:

In-

[24] EM 185 Janyan



Innumeros vestras iuuenes pertraxit ad oras;  
Qui cuperent talem consulerentque ducem.  
Sed vos prætereo: nimis arta hæc mœnia vestra,  
Ut queat includi gloria tanta, reor.  
Tota quasi ad tripodem Germania nostra cucurrit,  
Iura petens huius consiliumque SENIS.  
Ipse etiam, summo FRIDERICVS iure vocari  
Qui fœuit SAPIENS, sponte fateturidem:  
Is, puta, Brennorum qui primus regia scepra  
Intulit in terras ac diadema suas.  
Nestor erat NOSTER, nectanti PRINCIPIS aula  
Indignum, talem condecorare VIRVM.  
Non igitur mirum est, aliis venerabile visum,  
Quod tamen vna habuit terra Borussia decus.  
Noti sunt Bataui, Galli, notique Britanni,  
Qui, quidquid cultum est Marte vel arte, tenent.  
Nec gelidæ possunt debentque sub axe Triones  
Obscuræ esse scholis, Teutona Musa, tuis.  
Et tamen a cunctis, veluti memorabile nomen,  
Cultus et in quouis STRYKIVS ore fuit.  
Scauola, Sulpicius, Capito, Brutusque Catoque  
Sæculi erant quondam gloria magna sui.  
Sunt quoque Pomponius, Paullus clari atque Sabinus,  
Porro Modestinus, Pegasus atque Macer.  
Bartolus huc debet, Baldus summusque referri  
Grotius, in Themidis nomina nota scholis.  
Sed quidquid docuere omnes et quisque fuere:  
STRYKIVS hoc norat, STRYKIVS vnus erat.  
Assyrios etiam, Persas, Græcosque Latini  
Addiderat populi legibus atque foro.  
Denique si veterum sapientum scita requiris,  
Et quos forte alios proxima sæcla ferunt:  
Nil fuit ignotum, non disceptatio quedam  
Difficilis NOSTRO, peruia cuncta SENI.  
Inde tot ingenii construxit et inde peracris  
Iudicii sollers tot monumenta dedit.

Tem-



Tempora labuntur: sed, quam sibi STRYKIA dextra  
Collegit, nullo tempore fama cadet.  
STRYKIVS in cathedris et STRYKIVS ante tribunal  
Ac, vbi cumque vigent iura, citandus erit.  
Sed quorsum rapior? quo me meus impetus aufert?  
Sunt maiora super, sunt meliora mihi.  
Quæ dicam hoc breuius, quo sunt maiora magisque  
Diuina et nostræ laudis egena minus.  
Scilicet his cunctis normam sapientia iustam,  
Quæ venit ex cælis, perpetuamque dabat.  
Eusebien Themidi, quod rara exempla sequuntur,  
Connubio stabili iunxerat atque sacro.  
Hac doctus norat rectam sibi ponere metam,  
Hæc fortis facili tela vibrare manu.  
Non erat humanis tribuendus viribus iste  
Candor fuci expers integritasque VIRI.  
Nec bonitatis opus, qua nos natura benigna  
Interdum donat, tam bene larga manus.  
Omnia diuino manabant fonte: supernus  
Spiritus ipse sagax fessor et auctor erat.  
Nemo miser dubius vel frustra hoc limen adibat:  
Spem quoque vincebant munera sæpe bonam.  
Annus erit nullus, nullusque December in anno,  
Quo non hæc bonitas commemoretur, erit.  
Scilicet hic mensis fuit (ah! fuit) ille, notandum  
Quem sibi præ reliquis indiga turba putat.  
Continet ille diem, quæ magni conscia partus  
Ante fere bis sex et duo lustra fuit.  
Continet ille diem, qua potu STRYKIVS atque  
Pauperibus fecit gaudia magna cibo.  
Ipse Deus penset, quæ sunt bene facta: ego vero  
Hoc gemitu carmen finio triste breui:  
Vnde autem miseri sibi cur gratentur habebunt?  
Vnde sibi ILLVSTREM publica iura VIRVM?

† † †

Barode Tittelblatt!  
Das ist es!







# ELEGIDION

IN EXSEQUIIS

VIRI

QVONDAM

IQVE EXCELLENTISSIMI

CONSVMMATISSIMI

# MVELIS RYKII

AC POTENTISSIMI RE-

M CONSILIARII INTIMI ACADE-

NAE DIRECTORIS ET PROFESSORIS

CVLTATIS IVRIDICAE ORDINARII

IMI OMNIVMQVE IN GERMANIA

OFESSORVM SENIORIS

AVGVSTI A. O. R. CIOIOCCX

AVTEM LXX PIE DEFVNCTI

III CAL. EIVSDEM MENSIS

ET CHRISTIANO RITV

DEMETERIO HALENSI

HVMATI

ORVM MEMORIAM ET IVSTISSIMI

LORIS TESTIMONIVM

PVBlico

## II REGII GLAVCHENSIS

NOMINE SCRIPTVM

AB

ONYMO FREYERO

VSDDEM PAEDAGOGII

INSPECTORE.

HALAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS CHRISTIANI ANTONII NICKELII ACAD. TYPOGR.



Kapsel 78 N 13 [146]

AK

